

vt per eos salus conquisita mundo nunciaretur ac in fidei vnitate electi congregarentur, sua absentia nimium contristandos agnosceus, ne in ipsa tristitia sua succumberent, paternè consolationis est, promissione alterius paraclæti, spiritus. l. sancti, cuius consolatione, omnis eorum tristitia vertenda erat in gaudium, & gaudium tale, quod deinceps nemo tolleret ab eis, sicut dicitur in eodem ca. Sed fortè di. Quomodo promittitur spiritus sanctus, quem iam receperunt? Iam enim electi, iam dilecti erant à domino, vtrique attestante veritate. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos Ioan. 15. Et cap. 13. Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transfret ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Sed sine spiritu sancto in habitatore neque eligi. (Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius, Rom. 8.) neque diligi poterat, dilectione saltem gratuita, quæ dilectos facit amicos Dei, quia discipuli dilecti sunt, quibus iterum do minus ait. Iam non dicam vos seruos, vos autem dixi amicos. vbi supra. 15. cap. Hæc enim gratuita dilectio est per charitatem infusam, quæ sine spiritu sancto non infunditur. Rom. 5. Charitas diffusa est &c.

Neque spiritus sanctus diuisibilis est, vt partim aut imperfectè primò, & post domini ascensionem totaliter, & perfectè daretur. Indiuisibile enim, aut totum datur, aut omnino non datur. Sed facile soluitur, qui in spiritu sancti datione non modo substantiam, sed operationè ritimur. Nam diuisiones gratiarum sunt vnus autem spiritus, propter quod August. homil. 74. super Ioan. Non solum non habenti, verum etiam habenti non in casum spiritus sanctus promittitur. Non habenti, vt habeatur, habenti, vt amplius habeatur. Recepturi itaque erant spiritum sanctum quantum ad plenitudinem charitatum, & consolationem, quem iam totum habuerant quantum ad substantiæ illapsam, & gratiæ iustificantis infusionem, qui tanta eos perfectione illustraret, tanto amoris

igne depulso timore accenderet, vt per eos mundum constanter de peccato, de iustitia, & de iudicio argueret. Pro gratia Aue.

Signum manifestum præsentis sue Signa aduentus spiritus sancti euangelium pro sentia didit, quod nõ solum in discipulis, sed etiam in nobis eius inhabitatio attestatur. Hoc est argutio mundi de peccato, iustitia, & iudicio. Nam sicut spiritus sanctus per illos mundum maiorem (ad cuius conuersionem mittendi fuerant) arguit. Ita in nobis mundum minore nos ipsos in conscientia propria de eisdem peccatis emendando corripit. Videamus ergo breuius, quomodo hæc per apostolos. Secundò paulò latius quomodo hæc agit per nos ipsos. Quo ad primum spiritus sanctus apostolis missus, mundum per eos de triplici peccato arguebat, videlicet. De peccato infidelitatis. De peccato negligentia iustitiæ. De peccato contemptus iudicii. Sic do minus declarat, dicens quo ad primum quia non crediderunt in me. Quo ad secundum, quia ad patrem vado, & iam nõ videbitis me. Quo ad tertium, quia princeps mundi huius iudicatus est. Peccatum illud, de quo iudicatus erat mundus, peccatum infidelitatis est. Nominatur autem peccatum infidelitatis specialiter, peccatum antonomasticè secundum glo. inter illos, quia eo manente cætera manent, eo discedente, cætera remittuntur. Vnde Ioan. 10. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit carne, viuet spiritu, sicut Abraam, Isaac, & Iacob, quorum Deus nominari voluit, nõ vtrique mortuorum spiritu, sed viuorũ. Mat. 22. Et qui viuuit, & credit in me, nõ morietur in æternum, etiam si ad tempus carne dormierit. Sed de hoc infra. De iustitia Christi, & sanctorum neglecta, quam mundus non imitatur, quæ est via ad regnum, sicut ait dominus, Si vis ingredi ad vitam, serua mandata. Mat. 19. Tota verò iustitia est legis obseruatio. Hanc autem tenuisse Christum probat patens eius ascensus ad patrem. Hoc est, quod ait, de iustitia autem, quia ad patrem vado, non rediturus ad carnem